

fuerit. Et libro secundo, capite quarto, Atym dicit oblatum matri deum in eius templo, ut voueret castitatem. Quod credo eum didicisse ab aliquo ex Gallis matris deum. Et post paulum: Symphoniaci, inquit, sunt canentes tubis, vel alio modo sonitum magnum facientes. Ex dulci concentu magnos facit sonos, atque tubas. Et paucis verbis post: Vocat, inquit, hic Augustinus Symphonicos, qui in honorem deae pudicitiae quaedam turpia faciebant: non melius dixisset, si illa aetate vixisset, & paucis interiectis verbis, Palladem dicit lauari cum matre deum in Almone amne. Credas Varronem hoc dicere: tantum quoniam Augustinus virginis coelestis illic meminit, ceu non esset alia dea virgo, quam Pallas. Et mox: fuit, inquit, scena proprie domucula in medio theatri, quales sunt domuculae tabernariorum vel mercatorum in nudinis, secundum Huguitonem. O miseræ Scauri & Curionis, & Popenij scenæ latissimæ, & auro argentoque ornate, quomodo ad domuculas mercatorum in nudinis recidistis? Sed hoc tolerabilius. & addit: in scena pulpitus erat, quem ascendebant illi, qui fabulas recitabant: & quot erant carmina, tot reputabat apposuisse fercula. Hæc est argutissima interpretatio ferculi. Pergit vero: infra etiam latebant laruati histriones, & mimi, qui subito exeuntes coram populo motibus corporis expresserunt historias, seu fabulas recitatas: & isti proprie fuerunt appellati scenici. Scena etiam quicquid ponit pro ipso toto theatro, quoadque pro fabula, quandoque pro recitatione fabulae. Hæc omnia quis neget esse admirabilia, quum antea nullus unquam audierit? Quis unquam vel theatrum dixit scenam vel fabulam, vel fabulae recitationem? Tum addit Valerium Maximum dicere antequam imago matris deum translata esset ex Pessumunte, imperatores Romanos sæpe ad Pessumuntē iuisse, ut vota soluerent. Vbi hoc unquam somniauit Valerius? ita non satis est te fingere, nisi & alijs mediocria assignes. Narrauit quidem iuisse illuc Romanos imperatores libro primo, sed non ante matrem deum translata: quo tempore nullus unquam Romanus eo est profectus. Adicit his Pantheon templum à Domitiano magnæ matri deum extractum fuisse, quum Pantheon extruxerit ante Domitianum Agrippa Ioui Victori, deinde cæteris dijs. & hæc omnia in eodem vere aureo & copioso capitulo quarto libri secundi, quod licet Cornucopiæ appelles. In sexto vero capite versiculi sunt Persij, quos ipse festiuissime explicat: Discite o miseri, & causas cognoscite rerum, Quid sumus, & quid nam victuri gignimur, Ordo quis datus? Sic, inquit, ordinata est humana natura, quod

est super bruta animalia. Putabam esse infra, aut metæ quam mollis flexus? Metæ, inquit, id est, mortis. Atqui ex hac nullus est flexus. Quid asper vitile nimumus habet. hic quum igno- raret, cur asper nimum diceretur, non defuit moralizatio. Asper inquit, id est, quantum habeat asperitatis, propter curas magnas, quas ingerit: propter quod & spinis cooperantur diuitia. Non sic Persius sua tam acute intellexit, nec tam sancte. Et capite octauo de poetis annotatio digna, quæ ad verbum edificatur. Poetarum inquit, duo sunt genera: veteres, & noui. Veteres omnia quæ canebant, couertebant ad risum: unde de meretricijs & stupris, & his quæ poterant puocare risum tractabant: sicut Plautus & Terentius. Noui vero reprehendebant vitia hominum nominatim: undeque homines lacescebant, eorum vitia carpentes vera & ficta: & pingebant nudi, quia vitia denudabant. tales poetæ comici Satyrici appellantur: sicut Horatius, Persius, Iuuenalis, & huiusmodi. Et paulo post. Possunt autem poetæ tragicis sicut & comici diuidi in duas partes. Primi puri Tragicis: secundi vero elegi, tractantes de elegia, id est de miseria. Sic ille, ex Aristotele credo, aut si quis hoc quoque doctius de poetis scripsit, & tamen quod nihil unquam de ijs poetarum generibus audiuit, non intelliget quam friuola hæc & imperita sint, ne dum stulta atque ridicula. Si audiuit, huic perinde ista erunt, quum de nouis & veteribus loquitur poetis, ac si quis dicat architectorum officium est calcæos suere, cerdonum vero ædificare: & quum nouos comicos vocat Satyricos, ceu quod dicat factores esse textores, quum comicos dicit elegiacos, velut aliquis agalones dicat nautas, aut tonsores carbonarios. Iam quum explicat, elegia, id est, miseria: non secus quam si interpretetur: scripium, id est, liber. & c. IX. quum de Plauto ageret, iste scripsit, inquit, comædiam, quæ appellatur Aulularia, quasi non aliam. At philosophari quoque voluit lib. VII. Nam quum dixisset Augu. Menam deam, quæ mensuris preest, perferre fluores mensuros, ad eius, quod conceptum est, incrementum, ignarus fluorem mensuram dici etiam muliebrem sanguinem, quod fluxurum erat in mense, nisi vel foetu vel alia causa detineretur, incipit distinguere sanguinem mensuram: vno modo pro eo quod est purgamentum nature, & singulis mensibus eijcit. Alio modo accipit pro sanguine, qui per eiectionem purgatur, & post fluorem mensuram non confert ad incrementum foetus nisi per accidens, scilicet per suam absentiam. Confert enim pro tanto, quia quum ipse expellitur, sanguis ille unde foetus augetur, efficitur mudiior, & ad augendum melior. Sed beatus Aug. exteius loquens, vocat illum sanguinem, qui depuratur fluorem mensuram. Hæc ille. Primum quis unquam sanguinem illum qui purior remanet